

446

444

450

440

455

435

495

395

545

345

Ende

Anfang

435

fuit concursus hominum ad Praedicatorum et tantum spectaculum,
ac si innovata Roma esset processura. Advenerat enim in Buc-
zalatorio nave deaurata grandi dux Venetiarum cum patriarcha et
senatu et canonicis et insulatis abbatibus, et alia innumera
multitudo, ita, ut canalia, quae conventum cingunt, plena essent
barcis et longe ultra numerum millenarium excederent. Insuper
dominae Venetianae, licentiatae a maritis, tanto ornata et pompa
adventarunt, ut putares Venerem ex suo monte cum suis sodalibus
erupisse et capitulo nostro a Satana transmissas, quae non
tantum in ecclesia erant, sed per totum vagabantur conventum
et omnia lustrabant dormitoria cellasque intrabant hospitum,
fratrum et intraneorum, et omnia monasterii penitralia curiose
perambulabant. Denique dicere fas non est, quanta, non dico
solennitate, sed pompa, officia divina peragebantur, praecipue Missa
et completorium, quae in figurativis organis, tubis et trumpetis
finiebantur, ita, ut completorium tribus duraret horis sine taedio ad-
stantium propter musicae diversitates. Ad haec ecclesiae decoro
incomparabili omnes parietes obsitae erant pannis pretiosissimis,
omnia dormitoria et cellae, omnes officinae, omnia refectoria et
coenacula obiecta pannis pretiosis erant et omnia lectisternia con-
tecta ornamentis, praecipue tamen camera diffinitorii, in qua patres
negotia tractabant ordinis, erat non textis figurarum pannis ornata,
sed aureis velaminibus penitus undique circumamicta. In mensis
ministrabatur cibus et vini potus ad sufficientiam, in tabulis autem
praecipuorum membrorum capituli exquisita erant fercula et vinum
praecipuum et abundans, Metonicum, Creticum, Graecum etc. Zu-
charum autem et confecta Sicula vix reputabantur. Penset ergo
lector, si capitulum fratrum mendicantium Veneti ita disponunt,
quid sit in congregationibus principum, regum, si apud eos diaetae
celebrantur. Illae ergo congregations de universis provinciis no-
minatam hanc reddunt urbem.

Tertio decimo commendantur Veneti propter grandia privi-
legia, quae habent. Nam anno Domini 1171 Sebastianus dux
Venetorum concordavit summu pontificem Alexandrum III et
imperatorem Fridericum primum, qui papam de Roma expulerat,
de quo longa habetur legenda; et quia dux eos concordavit, dedit
ei et suis successoribus haec privilegia: 1) funale candidum, quod
solum pontificibus Romanis portandum consuetudo concedit; 2) quod

28 *

